



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio Panis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

ejusdem Domini nostri Iesu Christi ; qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum.  
*Resp.* Amen.

*Ex mox aspergat aquâ benedictâ.*

*Benedictio Ovorum.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**S**ubveniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis ✠ gratia huic ovorum creaturæ, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione fumentibus, ob Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum.  
*Resp.* Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ.*

*Benedictio Panis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**omine Iesu Christe, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quin-

que



que panes in deserto, ut omnes, ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

*Et aspergat aquâ benedictâ.*

*Alia Benedictio Panis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cælo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ.*

*Benedictio novorum Fructuum.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.